



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 12. S. Margarita Regina Scotiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. census Metropolitana non est. Istud ergo in
 A.C. 1093. Decreto deletum; sed appositum, quod
 Ecclesia Cantuariensis totius Magnæ Bri-
 tanniæ Primatum teneat. Ita demum
 Anselmus, secunda Dominica Adventus,
 die quarta Decembris, anno millesimo
 nonagesimo tertio, Archiepiscopus con-
 secratus est. Postquam Cantuariæ suæ
 Ordinationis octavam transegisset, ad
 Regiam ivit, Natalem Domini ibi cele-
 braturus; eumque Rex omnesque Pro-
 cæres humanissime exceperunt.

§. XII.

S. Margarita, Regina Scotia.

Boll. 10. Jun. 10. 20. p. 320. Eodem anno obiit S. Margarita, Scotia
 Regina ex ultimorum Regum Angliæ
 familia ortum ducens. Hæc Eduardi,
 ex Edmundo, a lorica ferrea dicto, geni-
 ti, filia, & Malcolmo Regi Scotia circa
 annum millesimum septuagesimum in
 matrimonium data, decorem Ecclesia-
 rum, filiorum suorum educationem, &
 Regiæ Domus splendorem maximopere
 curavit. Rex piæ uxoris consilio impul-
 sus complura jussit celebrari Concilia,
 in quibus inoliti abusus sublatis, & Eccle-
 siæ Disciplina restituta. Ipsa Regina in-
 tererat, disputabatque; eaque urgente,
 inter plura alia, etiam sequentia fuere
 statuta: Jejunium Quadragesimale Fe-
 ria IV. cinerum, non vero die Lunæ se-
 quente,

quente, inchoetur. Illi quoque, qui se peccatores noverunt, in Paschate communicent, postquam confessione peccatorum, & aliquot dierum pœnitentia, se præparaverint. Dominicam diem omnes sanctificent & a labore abstineant. Nemo Patris sui aut Fratris viduam ducat. Credere æquum est, Divinum Numen hanc Sanctam Reginam in Scotiam misisse, ut reliqua barbaries penitus proscriberetur.

Bis singulis annis quadraginta dies jejunabat, primo ante Natalem Domini, secundo ante Pascha. Quotidie complura Officia, & totum Psalterium recitabat. Quotidie cum Rege Coniuge plus quam trecentis pauperibus ministrabat, & largissime erogabat eleemosynas. Morbo correpta, & advertens mortis periculum Confessionem generalem omnium peccatorum suorum edidit. Tum ultima vitæ suæ die Sacellum suum ingressa, Missæ Sacrificio interfuit, & Viaticum accepit, quibus peractis, ancillarum manibus ad lectulum suum defertur. Cum de salute Regis, cum duobus filiis in regione remota bellum gerentis angereetur, intrat cubiculum matris natu minor, atque interroganti, ut Rex parens, fraterque valerent, respondet, ambos esse incolumes. Sed ipsa deteriora suspicans, urgere juvenem non destitit, donec

Sæculum XI.
A C. 1093.

Hist. Eccles. Tom. XV. X x nec

Sæculum XI.

A.C. 1093.

nec verum expressit; nempe & patrem & filium majorem ante triduum in proelio cecidisse. Egit Deo gratias Regina, quod morti proxima acerbissimo dolore, quo pro peccatis suis posset satisfacere, affligeretur, moxque animam reddidit, decima sexta Novembris anno millesimo nonagesimo tertio. At Ecclesia ejus memoriam decima Junii colit. Vitam S. Margaritæ annis ferme post ejus obitum decem Theodoricus Dunelmensis, qui Reginæ a Confessionibus fuerat, jubente Regina Mathilde, defunctæ filia, Henrici I. Regis Angliæ uxore, scripsit.

§. XIII.

Conradus in Parentem Imperatorem rebellis.

Papebr. Catal. to. 18. Bertold.

In Italia rebus humanis ereptus est Anselmus Archiepiscopus Mediolanensis, quarta Decembris anno millesimo nonagesimo tertio, postquam hanc Sedem annis septem & mensibus quinque tenuisset, & partibus Catholicorum addictissimus haud diu ante Regi juveni, Conrado, in Patrem rebeli, coronam imposuisset. Anselmo successit Arnulphus III. qui Ecclesiæ Mediolanensi annos prope quatuor præfuit.

Causa vero, cur Conradus a parente defecerit, hæc fuisse perhibetur. Cum Impe-